

Q. K.  
3763

X 1903.795

II n  
4976

HENRICI MEIBOMII

IN

HISTORIAM  
ANGLICANAM

PROGRAMMA

Publicis Lectionibus præmissum.



HELMESTADII,  
Typis GEORG. WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.  
Anno M DC LXXXIX.



HEINRICH MEIBOMI  
IN  
HISTORIAM  
ANGELICANAM

PROGRAMMA  
Publicis Lectionibus praesentatum



HELMSTADT  
Typis Georgii Wotzmanni Hammii 1792  
ANNO MDCCLXXXII





# HISTORIARVM STUDIO SIS

S. P. D.

HENRICVS MEIBOMIVS,

**V**æ, terrarum olim & libertatis extrema, tardiusque à Romanis domita, BRITANNIA, hodie vero totius Europæ, nunquam magis exercitata, & in ambiguo positæ, mentem oculosque in se convertit, statu ejus præter opinionem, subito, & non sine Numine, mutato, me quoque adigit, ut, seposita Saxoniam nostram historia, de Britannicis rebus agere, proximis mensibus, decreverim. Non tamen antiquissima ejus, vel mixta dubiis narrationibus, vel planè fabulosa, recensere; nec, quæ per Romanos ea in Insula acta, ex quo, sub Domitiano, Agricola, egressus veterum Legatorum & exercituum terminos, in provinciam eam redegit, per aliquot dein secula Romanis parentem, eorumque legionibus obsessam: nec

):( 2

ea,

ea, quæ paullo post secutis temporibus sub Christianis Principibus contigerunt, certioribus licet prodita auctoribus, pluribus exponam: novissimis magis inhæsurus, quæ hodiernis, & quæ ante oculos nostros sunt, rebus lucem adferant aliquam, fontesque patefaciant malorum, quæ superiori & nostro seculo Insulam illam, quodam quasi fato, exercuerunt, occasionesque explicent, quibus leges duræ, de quarum abolitione nunc disputatur, occasionem dederunt. Talia autem imprimis ea sunt, quæ post Henrici VII tempora contigerunt, maximis in Imperio, nec minus in religione, turbis memorabilia: sine quorum notitia aliquis de iis, quæ novissimè gesta sunt, & imposte gerentur, rectè judicare, non magis poterit, quam de coloribus cæcus.

Accuratè igitur mihi exponendum fuerit, quomodo trium nobilium Insularum, cum minutulis aliquot, ad unum Regem devenerit imperium: nec reticendum, quomodo, sub Henrico II Hibernia accedente, Pontifex Romanus Hadrianus se ingesserit, in Epistola ad Regem, ubi de Hibernia agit, ita in genere ausus scribere: *Sanè in Hiberniam & omnes Insulas, quibus Sol Justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta fidei Christianæ cœperunt, ad jus B. Petri & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, (quod & tua nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere: Quomodo, regnante in Anglia Eduardo I Bonifacius Pontifex Romanus Jura sua in Scotiæ Regnum ad Temporalia quoque extendere voluerit, contradicente Communitate Angliæ (Regnum Scotiæ*

Scotiæ ad se pertinere existimante) in illa memorabili Epistola, quam, sedente Parlamento Lincolniensi, Comites & Barones Angliæ centum & quatuor, totidem sigillis appensis, subscripserunt, ante undecim demum annos ex Bibliotheca Collegii Corporis Christi Oxoniensis publicata: quomodo ipsum Angliæ Regnum & Hiberniam, Johanne Rege, Innocentius III. Papa, post sexennii & trium mensium interdictum, feudali nexu sibi obstringere conatus fuerit: Quomodo secutis temporibus Curia Romana Regibus Angliæ, ordini sacro & profano, proceribus, populoque, vexationibus & collectis, alibi locorum non auditis, gravis fuerit, infinitis extantibus ea de re querelis, nullo usque ad Henricum VIII remedio: quomodo à Denario S. Petri (*Peterpence* vel *Romeschot* dicto) quem pius Rex Ina, Scholæ in urbe Roma, tanquam Eleemosynam, destinaverat, ut Angli ibi in doctrina Christiana rectè informarentur, & interea sustentarentur, argumentum ducere voverint, ut Sedi Romanæ jam ab antiquis temporibus tributarium esse Angliæ Regnum ostenderent, qua de causa & illum Romam mitti vetuit prudentissimus Rex Henricus VIII. Exponendum vero deinde mihi fuerit quoque, quæ sit illa, quæ hodie regnat, STUARTEA Familia, & quando ad illam Scotiæ, dein trium Regnorum, imperium devenerit: quæ Parlamenti origo, & minor majorve, lapsu temporum, autoritas: nec prætermittenda Bella illa, quæ Anglos inter & Gallos crudelissima & diuturna gesta sunt, his adeo primò favente fortuna, ut & magnam Galliæ partem sibi subjecerint & aliquamdiu possederint; explicandæq; causæ,

): ( 3

causæ,



causæ, cur hodieque Angliæ Reges, omni licet possessione terrarum in Gallia amissa, titulum tamen Regis Franciæ retineant, & inter Insignia sua Lilia quoque Francica comparere faciant. Sanè, aut valde fallor, aut his clarè expositis, multum luminis accedet iis, quæ in potentissimo illo regno & novissimè acta sunt, & proximè agentur.

Equidem, quomodo superiore seculo, Henricus VIII, æternùm memorabili factò, cum antea Defensoris Fidei nomine à Papa honoratus fuisset, deinde Supremi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ sub Christo titulum à Synodo & Angliæ Academiis acceperit, accedente mox Parlamenti auctoritate: quomodo deinde, intolerabili Pontificis Romani jugo excusso, libertatem, quam tamdiu anhelaverat, regno dederit: quæ motuum & mutationum, sub Eduardo VI, Maria, & Elisabetha, procellæ calamitates maximas regno intulerint: quàm graves contra sapientissimæ Reginæ Elisabethæ, & piissimi Regis Jacobi sacra capita institutæ conjurationes: quantos sub ultimis Regibus motus de Ecclesiastici Regiminis forma dissensus pepererit: hæc, inquam, notiora equidem sunt, utpote Compendiis quoque Historicis memorata. Cum tamen in illis non ferè nisi nudi eventus signentur, debitæ vero circumstantiæ, ex quibus de consiliis & causis facere judicium licet, omitantur, majoribus vero voluminibus, aut singularibus libellis (quorum copiam habere, aut legere non cuivis integrum est) tantum exponantur, ex iis omnibus diligenter collecta Vobis edisseram, nullis temere circumstantiis

stantiis omiffis, quæ rem, de quâ agitur, vel explicent  
vel illustrent. Id tantum doleo, ipsos Historicos  
ita in diversa inter se abire, partiumque studio abreptos,  
fuarum rerum faciem diversis quemlibet coloribus  
pingere, ut, quid veri subfit, difficulter conijcere liceat:  
dabo tamen operam, ut non nisi ea, in quibus pleros-  
que, qui rerum peritia instructi, proculque ambitione,  
procul odio, scribunt, consentire deprehendero, quæ-  
que vel laudanda de adversariis non negant, vel, im-  
probanda licet, de suis fatentur, tanquam veriffima  
& indubitata proponam, de dubiis vero & incertis, nec  
assensu meo dato, nec vestro expectato, Non Lique-  
re, candide profitear.

Has igitur Lectiones meas, non jucundas tantum,  
sed & utiles fore arbitror, curiosis quibusvis, hoc præ-  
sertim tempore, dum res in Anglia, non, ut antea, per  
quædam intervalla, & quasi spiramenta, sed uno ictu,  
concussæ sunt: dum, ne servitutem suam alere ipsi &  
pascere amplius viderentur, libertas signum sustulit,  
sub WILHELMO & MARIA, sanguine proxi-  
mis, toro dudum, nunc quoque regno, conjunctis. E-  
quidem, quin multa adhuc conaturi sint, quorum con-  
siliis & conatibus Regna illa ad exitium penè diducta,  
non dubito: dum tamen, quid hætenus civilium &  
sacrarum turbarum Anglia viderit, vel in spem, vel  
solatia eorum, quæ evenient, scrutabimur, simul DEUM  
Opt. Max. rogabimus, ut citra cruoris effusionem,  
ceu hætenus factum est, placidè omnia componi,  
STUARTE OSque florere, & WILHELMUM ita  
Regnis

Regnis suis præesse velit, ut rebus in Europa turbatis  
& diffluentibus portus, dubiis præsidium, calamitosis  
solatium, publicis vero Germaniæ hostibus terror  
sit, & exitium! Valet P P. in Acad. Julia  
XII. Mens. Martii,



Handwritten blue ink scribbles and the number 4976.

Handwritten blue ink mark, possibly 'MC'.

Handwritten blue ink mark, possibly '1077'.



Q.K.  
3763

X 1903

HEN

HIS  
AN

PI

Publicis



Typis GEORG

MII



M  
M

sum.



Typogr.

